Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1287
Quelle:
Copyright:

ſan ἄνιγμα Typographi artem ſuam occultare volentis, atque adeo Libellum illum non manu ſcriptum, ſed impreſſum eſſe. Sed enim, quod vel Proſodia docere poterat, *ſine manibus* hic alluſio eſt ad *Virgilianum* illud: *Quisque ſuos patimur manes*, nihilque vult aliud, quam Textum *ſine naevis* exaratum eſſe, ut pluribus dixi in Miſcellis meis vernaculis ſeu *Leſefrüchte* 1797. 8. editis P. I. p. 44.

DLXXIV.

R. 3128 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 60. 4. per duas columnas non una manu et primum minutius exaratus, rubro diſtinctus et olim *monaſterij canonicorum regularium ordinis S. Auguſtini ad S. Dorotheam wienne* continet I. *Breviloquium D. Bonaventurae*, prout habetur Edit. *Lugd. Opp.* 1668. T. VI. p. 5. et init: *Flecto genua mea ad patrem domini noſtri ieſu chriſti* &c. A quibus verbis cum etiam ejus *Soliloquium* ineat, cavenda eſt confuſio. *Breviloquium* noſtrum dogmaticum eſt et didacticum; *Soliloquium* vero myſticum et affectivum, praeterea Dialogo inter Animam et Hominem ſcriptum.

II. a *fol.* 31. ad finem Codicis habentur Conceptus praedicabiles, ſeu Notata homiletica de diverſis Materiis moralibus, quorum priora certis per annum Feſtis adcommodata ſunt, puta *de Aſſumptione*, *Annunciatione*, *Natiuitate beate virginis*, *Epiphania* &c. Poſteriora, eaque plura, quaquaverſum evagantur, v. g. *de die Judicij*, *Quod multi dampnantur et pauci ſaluantur*, *De duodecim condicionibus creaturarum*, *De decem beneficijs que nobis chriſtus contulit per incarnacionem ſuam*, et ita paſſim numerica.

DLXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 159. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas a diverſis exaratus, minioque diſtinctus I. titulum praefert: *Incipit breuiloquium.* Nempe *Bonaventurae* O. M. Card. Scriptoris Sec. XIII. Initium: *Flecto genua mea ad patrem domini noſtri ieſu chriſti* &c. Diviſum eſt dogmaticum iſtud Compendium in VII. *Partes*, earumque *Capita*, ut in Edit. *Opp. omn. Lugd.* 1668. T. VI. p. 5. quacum Exemplum praeſens ſatis conſonat, ſi demas *Prooemii* finem, qui in Edit. eſt: *et ſeptuaginta duobus capitulis diſtinguuntur*; in Codice vero procurrit multo longius omnium *Partium* et *Capitulorum* ſiſtendo Titulos, qui cum alioquin ante *Partes* et *Capitula* ſingillatim habeantur, hic conſulto ab Editoribus omiſſi eſſe videntur. Elocutio ſaepe variat. Finis Opuſculi: *donec intrem in gaudium dei mei qui eſt trinus* &c. U. 110

II. *fol.* 64. Opuſculum alterum, quod ἀνεπιγραφως incipit: *Poſtulat a me ueſtra dilectio, ut de Articulis fidei et eccleſie ſacramentis aliqua uobis compendioſe pro memoriali tranſcriberem* &c. Eſt vero